

malis et ipsi blasphemantibus atque ingratis, volens eos beneficiis vincere ac sibi devincire. Jam si quis dominus servum suum ita diligeret, ut omnia quæ possidet ipsius potestati permitteret, quasi ipsius sint, omnia insuper ad familiam regendam necessaria abunde suppeditaret, nec aliud ab eo requireret, quam amorem; quomodo, obsecro, servus hic offendere Dominum, quomodo non maximopere diligere posset? Exemplo est Joseph, qui cum Putiphar, ejus in Ægypto dominus, omnia ejus directioni et potestati tradidisset, impossibile sibi putabat ut offenderet dominum suum: *Quomodo possum hoc malum facere?* inquit Genes. XXXIX. Atqui Deus omnia, quæ in domo sua sunt, nobis tradidit, imo nostri causa fecit, geritque se ac si nihil sciret, nec curaret mundum: quomodo igitur non possumus non diligere? Quomodo possumus offendere? Quomodo ejus oblivisci, qui eos semper in sinum suum trahit; cujus est aer, sol quo illuminamur, cibi quibus vescimur, vestes quibus fovemur? Certe si quis in peregrina iter agens, forte in domum rustici diverteret (cum aliud hospitium non esset) essetque ab eo humaniter acceptus, laute etiam pro facultate coloni habitus; si is hospitem suum non amaret: si discedens gratias non ageret, ac si posset, postea non vicissim honoraret; sane is oppido inurbanus, impudens et barbarus censeretur. Et quis censeat meliori nota eos, qui locupletes quotidie accumbunt mensæ, opiparis cibus a Deo sibi instructæ, nec tamen attollunt oculos ad Deum, nec diligunt eum, neque agnoscunt atque expendunt unde ista habeant? Hoc est quod exprobrat talibus Isaias, cap. I. *Audite, celi, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivit et exaltavit, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Quare minime mirandum si interdum nobis necessaria subtrahantur, si tempestates adversentur, si fames aut morbi sæviant, si hostis premat, si, ut subdit Isaias: *Terra vestra deserta, civitates vestre succensæ igne; regionem vestram coram vobis alieni devorant;* quia tantam ingratitudinem necessario sequuntur flagella, sicut magnetum ferrum persequitur. Neque ideo minoris æstimanda sunt hæc beneficia, quod aliis etiam hominibus sint communia. Non enim tu ideo minus agnoscis humanitatem amici te laute et suaviter in convivio tractantis, eo quod plures tecum convivæ sint. Nec ideo minus Samaritanus ille leprosus Christo gratus fuit, quod una cum ipso novem alii sanati sint.

Quare, auditores, si audivimus lectionem præceptoris nostri, eamus nunc et demus operam ut opere impleamus. Dicamus cum Davide, postquam ab hostibus suis liberatus fuit, canente: *Diligam te, Domine, fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus adjutor meus, et sperabo in eum. Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.*

CONCIO III.

CHRISTUS SUMME DILIGENDUS, QUIA SAMARITANUS NOSTER.

I. Cogita quis sit Samaritanus, et Salvator noster. — II. Quem salvarit ac sanavit. — III. E quanto malo eripuerit. — IV. Quanto labore salvaverit. — V. Quid nobis contulerit.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
Luc. X.

Nemo, arbitror, auditores, unquam sanæ mentis homo in quæstionem vocavit, utrum amandi sint liberatores et servatores vitæ. Id enim tam perspicuum et naturæ lumine clarum est, ut vel bruta, eaque effera animalia, æquum et justum esse intelligere videantur. Notissimum est quod Gellius, lib. V. cap. XIV. refert de leone, qui Androdum, medicum suum, ob extractam e pede spinam et curatum pedem, mire adamavit et venationibus toto aluit triennio, et post Romæ inter bestias servavit in theatro; atque, ut scribit Seneca testis oculatus, lib. II. de benef. cap. XIX. protexit ab impetu bestiarum. Nec minus notum illud, quod Demetrius physicus tradit apud Plin. VIII. cap. XVII. de panthera, quæ ereptori catulorum suorum, (qui in foveam inciderant) post varias blanditias, comitem se adjunxit reciproci amoris et gratitudinis loco, imo et tutricem per reliquam silvæ viam. Nec minus fide caret quod Palladius, in histor. Laus. c. XX. tradit de hyæna, quæ Macario Alexandrino, quod sancti illius viri ope catulus ejus cæcus visus recepisset, pellem ovinam pro munere detulerit. Quibus gratitudinis officiis quid hæc animalia nisi amorem suum ostendere voluerunt erga servatores suos? Non est igitur hæc de re movenda quæstio. Quid ergo, auditores, interrogare ne aliquis, ne dicam dubitare, poterit, an Servator noster Christus toto corde diligendus sit; cum de suis privatis et exiguis servatoribus id asserant animalia bruta et ferocia. Spina peccati nos læseramus; Christus sanavit nos: in foveam damnationis incideramus; eripuit

nos: cæcitatem incurreramus; curavit nos. Solum ergo superest, ut præ oculis nobis ponatur Servator noster; eo enim inspecto, non dubito quin omnes in amplexum et amorem ejus toto peccatore ruituri simus, quod nunc facere conabimur.

Hodierna parabola, si quid uspiam in toto evangelio, describit ac depingit Servatorem nostrum ejusque beneficia in Samaritano. Nam:

I. Quis est Samaritanus et Salvator noster? Christus Dei Filius, qui amore nostri, videns nos a dæmonibus undique vulneratos jacere, de cælesti Jerusalem descendit in hunc mundum, velut in vastam et latrocinii infamem silvam, certissimo vitæ suæ periculo. Hic est enim qui olim patriarchæ Jacob apparens scalæ innixus dixit: *Ero custos tuus quocumque perrexeris*, Gen. XXVIII. Samaritanus autem idem est quod *custos*. Idem tacite concessit ipse Dominus, Joan. IX. cum per contumeliam vocatus Samaritanus, nihil ad id respondit. Hic ergo non misit angelum, nec hominem, nec aliam creaturam, sed ipse advenit; ipse noster *custos*, medicus et salvator esse voluit. Pro re magna recensetur ab historicis, quod Alexander Magnus Lysimachi vulnus sanguine stillans, detracto sibi de capite diademate, ipsemet obligavit, apud Sabell. lib. VII. en. IV. At vulnus id Alexander ex equo descendens, gladio suo in fronte Lysimachi ipsi (licet imprudenter) fecerat. Quanto plus est hoc, quod Dei Filius homini, servo suo, suapte culpa læso, vulnera obligare voluerit, detracto sibi gloriæ suæ diademate et servi forma indutus? Quis talem ac tantum medicum non possit non summe amare simul et admirari? Multum profecto fuit, et magnum divinæ bonitatis argumentum, quod Raphael archangelus, unus e septem qui semper in conspectu Dei stant, e cælo jussu Dei venerit instar viatoris in domum Tobiae, ut ipsi visum restitueret, et filium ejus ab immani pisce liberaret, duceret ac reduceret veluti custos ac pædagogus ejus. Hoc enim ubi audiit Tobias cum suis, in tantam admirationem raptus est, ut Scriptura dicat: *Cum hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam; et prostrati per horas tres (quasi in deliquium vel extasim rapti præ stupore) in faciem, benedixerunt Deum, et exurgentes narroverunt mirabilia ejus*, Tobiae XII. Et merito quidem hoc: sed quanto plus est ipsum angelorum Dominum et creatorem ad nos sanandos e cælo in terram servi et viatoris habitu descendisse? Numquid non multo plus, quam si omnes angelorum chori ad nos descendissent? Quis ergo tantum beneficium non agnoscat? Tantum benefactorem non ex toto corde omnibus viribus suis amet? Quid enim

magis ad amorem provocat, quam beneficia, quam amor?

II. Quem sanavit ac salvavit? Servum suum vilissimum, qui ipsi Domino et salvatori suo rebellis fuit, ipsumque sprevit magis quam Judæi Samaritanos; servum temerarium, qui suapte culpa descendit de visione pacis et gratia Dei, inciditque in latrones, dum se latronibus illis tartareis miscuit, a quibus ita male acceptus fuit: hominem miserrimum, ab omnibus desertum, ferarum morsibus expositum, mortis filium. Quid in nobis erat, ut sic nos Dei Filius amaret, et ad nos salvandos descenderet? Si juxta Senecam, lib. II. de ira, c. XXVII. (ubi ait: *Nimis nos suscipiamus, si digni nobis videamur propter quos tanta moveantur*) si, inquam, indigni sumus propter quos tanta (cæli scilicet) moveantur; quomodo digni, ut Deus ipse propter nos moveat se de throno suo? Ut naturam nostram indutus descendat de cælo? Erat potius cur nos abjeceret, quia nos illum abjeceramus, quoties peccatum commiseramus. Nonne Sauli ait Samuel: *Propterea quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus?* I. Reg. XV. Et ita quidem contigit Adæ primum: nam, quia abjecit sermonem Dei, ejectus est e paradiso, exceditque e gratia Dei. Nihilominus Dei Filius hunc ejectum, hostem Patris sui, adeoque et suum, e cælo proscriptum collegit et servavit, sicut filia Pharaonis Moyses, de sententia patris in flumen abjectum ac mergendum, quamquam Moyses filiam Pharaonis non offenderat; homo autem et Deum Patrem et Filium ejus offendit. Jam vero: *Viv pro justo quis moritur?* ait apostolus ad Rom. V. Christus autem pro injustis et rebellibus sibi hominibus mortuus est. Igitur hunc liberatorem suum non amabit homo? Si quis aulicus regi familiarissimus, malo spiritu agitato, stricto gladio adoretur regem, ut eum confoderet, verum per imprudentiam seipsum graviter læderet, ideoque conjiceretur in vincula; rex vero intrans carcerem, ipsum vinetum liberaret, nec solum vita sed etiam pristina gratia et familiaritate donaret, quomodo aulicus ille regem hunc non amare posset? Simile aliquid Hadrianus imp. designavit, quando Tarracone hiemans, dum seorsum a suis inambularet, servum in se stricto gladio irruentem vix cohibuit, quoad ministri trepide adfuerunt. Cognita enim hominis insania, non modo non supplicio affecit ullo, sed medicis quoque curandum tradidit, Sabell. lib. IV. eun. VII. At non adeo hoc mirandum; quia homo homini, et quidem insano, pepercit ac benefecit. Quantum vero illud est, quod Dei Filius servo sanæ mentis sic exorbitanti, sic opitulatus est?

III. E quanto malo eum eripuit? Miser iste qui in latrones incidit, omnibus suis spoliatus, insuper et vulneribus concisus, et denique ab omnibus desertus fuit; itaque in summa calamitate nil nisi acerbam mortem expectabat. Verum mors hæc corporis tantum et temporalis erat, uti et spolia ac vulnera illa. At homo per peccatum, in calamitates incidit, quæ animam ejus petebant et ad æternitatem spectabant. Contraxit enim ægritudinem, in qua magis jacere quam stare aut ambulare, noxia quam salutaria cupit: pronus ad malum, difficilis ad bonum. Quanto excellentior est vita illa sempiterna, omnibus bonis affluens, quam hæc momentanea et calamitatibus obnoxia? At homo per peccatum originale necnon actuale, primo, spoliatus est gratia Dei, justitia originali, virtutibus supernaturalibus, velut vestibus animæ pulcherrimis; deinde, habitaculo paradisi, dominio, in quæcumque animalia, immortalitate, Dei amicitia, vita beata.

Secundo, vulneratus est gravissime in intellectu, voluntate et memoria; et semimortuus factus est per peccatum, quod est prima animæ mors. Quando enim cogitas boni aliquid de passione Domini nostri, de judicio Dei, de inferno aut celesti regno, non commoveris, licet hæc valde magna sint et efficacia ad hominem commovendum ad amorem, timorem et pia desideria: sed quando cogitas de fæda luxuria, aut injuria tibi facta, aut de aliquo temporali lucro quod spectas; subito inflammari et mutari ad res sordidas, ad iracundiam et varia desideria. Item si quis pauperum ad te venit, qui a te petat eleemosynam, confestim turbaris, ne ipse pauper fias, cogitando mox de necessitatibus uxoris tuæ et filiorum; sed si inutiles facias sumptus in symposia, vestimenta splendida, etc. non turbaris, neque hujusmodi cogitationibus vel minimo timore percelleris. Item, si in concione commotus paululum, et nonnihil ad vitam in melius commutandam excitatus fuisti, infernalis gehennæ metu, ubi primo domum veneris, animam mutas, atque oblitus auditorum, rursus vadis ad socios antiquos, cum illis agis et mundana pertractas: verum si injuria aliqua tibi facta est, non tam cito illius oblivisceris, sed illud nocte dieque cogitas et revolvis, quibus te mediis ab eadem vindicare possis. Atque ita semivivus es et semimortuus: vivendo scilicet in malo, quod illico sentis; moriendo in bono quod minime sentis. Ita discurret noster Costerus super hodierno evangelio.

Tertio, desertus ab omnibus, quia a nulla creatura juvari poterat, multo minus per seip-

sum assurgere. Pertransit sacerdos et levita, h. e. lex et prophetæ, nec sanare poterant miserum. Fuit ergo in eo statu, in quo languidus ad piscinam, qui dicebat: *Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam*, Joan. V. Quid aget miser in tali statu? Nonne cogitabit: Oh si quis veniret et opem mihi ferret! Quam ego eum colere, quam amare vellem! Et en adest Samaritanus noster Christus, qui hoc nobis præstitit. Quis non amet hunc Salvatorem? Rudolphus Haspurgensis imp. Jacobum Mullerum Tigurinum majore benevolentia, quam principes, pari qua fratres prosequatur. Mirantibus hanc insolentiam universis, memorem se esse dixit beneficii a Jacobo accepti, quod illius fortitudine atque fide, cum contra Baronem Regenspurgium pugnans multis vulneribus affectus a suis plerisque desertus fuisset, illius opera equo impositus, et ex hostium manibus ereptus esset, Stumpsius, in chron. Quid vero noster Samaritanus Christus? Nonne ipse nos vulneribus concisos et desertos, necnon equo gratiæ dejectos, iterum in eum restituit, ac de manu hostium liberavit? Quam ergo eum prosequi omni amore et observantia debemus?

IV. Quanto suo labore eripuit? Samaritanus quidem ex equo suo descendit; et postquam vinum et oleum in afflicti vulnera infudit, ægrum in eo collocavit, ipse pedes secutus est. Aliquid hoc laboris fuit: sed pluris constitit Christus salus nostra. Non enim vinum et oleum, sed sudorem et sanguinem suum tot cruciatibus in nos fudit, ut vitam etiam effunderet. Vidit enim Christus vulnera nostra tam gravia et periculosa esse, ut nisi sanguine ipsius curari non possent. Quia igitur salutem nostram plusquam vitam suam amavit, sanguinem pro ea dedit. Pelicani amorem erga pullos suos tantum esse ferunt, ut accenso a venatoribus circum eos igne, ipse procurrens alis suis ignem extinguere conetur, licet interim aduratur et præda fiat, cum alias animalia cætera, etiam ferocissima, ignem refugiant, Aldrov. lib. XIX. ornithol. cap. II. Pier. in hierogl. Vidit Christus circa nos accensum undique ignem gehennæ, qui peccatoribus debebatur. Hunc ergo ut extingueret, en quid fecit: prodiit in manus inimicorum suorum, et se ipsis excarnificandum dedit, ut tormentis suis nostra deleret. Bene proinde in Psal. X. cujus titulus est *oratio pauperis*, ait Christus: *Similis factus sum pellicano solitudinis*. Magnus amor Arsinoes reginæ fuit, quæ corpus suum cædendum gladiis sicariorum pro duobus filiis ad se confugientibus obtulit, ut ibidem refert Aldrov. At quanto major Christi, qui variis et exquisitissimis tormentis,

et acerbissimis ludibriis se pro nobis servis suis, non pro filiis obtulit! Magnus amor Antonii Mariæ erga parentem Robertum fuit: videns enim patrem Venetorum exercitum contra Maximilianum imp. ducentem, a Germanis circumdatum, in confertissimam hostium aciem se injecit, fortissimeque pugnans aciem submovit, patrique se recipiendi facultatem præbuit: ipse interim in hostium potestatem venit, Bembus, l. I. hist. Venetæ. Quanto major in nos Christi amor, qui per alapas, sputa, flagella, spinas, crucem, opprobria, mortem ipsam acerbissimam penetravit ad nos, tartareis hostibus circumdatus? Et nos quidem liberavit, ipse vero mortis præda factus est? Ipse ergo de equo gloriæ descendit in ignominiam et confusionem crucis; de sinu paternarum deliciarum in dolores mortis; de summo cæli throno in sepulcrum. Ipse nos jumento suo imposuit, cum peccata nostra, h. e. pœnas eis debitas, in se suscepit, et in corpore suo portavit super lignum. Quis amore tanti liberatoris non colliquescat? Crescit vero hic amoris stimulus, cum consideramus quanto amore hoc Christus fecit. Tanto nimirum, ut paratus esset, vel pro unico homine hæc omnia ferre, nec solum viginti fere horis, ut fecit, sed usque ad diem judicii. Tanto, ut præ desiderio patiendi, carnifices suos prævenerit, ipseque sponte in Oliveto sanguinem e suis venis, non tam anxietate (quamquam et hæc adfuit) quam animi fortitudine et ardore patiendi undique effuderit. Tanto, ut suam passionem, quamvis dirissimam, non passionem, sed calicem, appellaret; quasi sitiendi ipsi salutem nostram gratissimus haustus foret. Rursum, licet ea viginti fere horis, ut dixi, duraret, horam tantum unam appellat. Tanto, ut hæc omnia gratis fecerit, nihil e nobis remunerationis expectans. Quid si enim ipsi dare possemus, a quo omnia accepimus? Quis autem alius militat propriis stipendiis? Et quis nostrum facile gressum pro altero facit, nulla prorsus spe mercedis?

V. Quid præterea nobis contulit? Miserum Samaritanus duxit in stabulum seu hospitium, et curam ejus egit: commendavit quoque stabulario, et dedit ei grossos duos; promisit insuper plenam mercedem curæ suæ. Christus duxit nos ad Ecclesiam suam et commendavit pastoribus. Dedit nobis thesaurum meritorum suorum, quibus recuperare sanitatem, quoties eam læsimus, possumus: item pastoribus denarios duos, potestatem solvendi et potestatem ligandi: item verbi Dei et sacramentorum dispensationem: dedit nobis donum Spiritus s. dedit et corpus suum in eucharistia: dedit et pastoribus redditus ac

proventus, cæteris protectionem suam et precum exauditionem; denique, vitam æternam, ita ut jam ditiores simus, quam eramus ante lapsum.

Quid igitur adhuc requirimus ad hoc, ut Christum Samaritanum nostrum ex toto corde amemus? Jure apostolus dixit: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha*, h. e. *Dominus venit*, I. Cor. ult. quasi dicat: Sit ille reprobatus et ejectus e fidelium et electorum cœtu: *Dominus enim venit* et properat ad judicium, in quo tam ingratum hominem judicabit et damnabit. Huic etiam spectat quod in hodierna parabola Dominus subjunxit, dicens: *Quodcumque superogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*, scilicet in die judicii. Veniet ergo Dominus et mercedem reddet iis, qui ipsum dilexerint; necnon tormenta iis, qui post tanta beneficia non amarint.

CONCIO IV.

RATIO DILIGENDI PROXIMUM EXEMPLO SAMARITANI.

I. Condole et juva. — II. Ægris et miseris ministra. et ad promixi miserias te demitte. — III. In gratiam proximi aliquid tibi detrahe. — IV. Da proximo utilia. — V. Alliga ejus vulnera. — VI. Supporta debiliorum.

THEMA.

Vade et tu fac similiter. Lucæ, c. X.

Quando hodiernum Samaritanum considero, videre mihi videor, in quod Salomon, Proverb. XXX. ait: *Stellio manibus nititur et moratur in ædibus regum*. Stellio est animalculum simile lacertæ, stellulis collucens, quod pedunculis se affigens, muros facile ascendit, et ad quævis palatia etiam altissima irrepit, cætera quidem horridum et exosum hominibus. De quo Sanctus Gregorius, lib. VI. moral. capite V. ait: « Plerumque aves, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus resident: et stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique, dum negligentia torpent, in pravis actionibus remanent; et simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda æterni regis mœnia virtus operationis levat. Stellio ergo qui manibus nititur, in regis ædibus moratur, quia illo simplex per intentionem recti operis pervenit, quo ingeniosus minime pervenit. Annon videtur avis fuisse legisperitus, vir ingenio et doctrina præditus, et tamen interim viam cæli ignorans, nec proximum suum agnosceus? Stellio

contra Samaritanus, qui exosus Judæis rudis, simplex, proximum et agnovit et juvit, ideoque viam cæli invenit? Quare, auditores, ut ad cæli regiam ascendamus, non egemus alis scientiæ, sed duabus dumtaxat illis manibus, amoris Dei et proximi, quas nemo non habere potest. Quis autem non vult ascendere in cælum? Sequamur ergo stellionem, sequamur Samaritanum, et ab hoc discamus proximum diligere.

I. Videns saucium Samaritanus, misericordia motus est super eum, neque solum in corde motus est, sed facta etiam opitulatus est. Ergo qui proximum amat, dolenti condolere debet, nec solum condolere, sed et juvare, uti et membra faciat, ipseque Christus docuit, quando caput pro membris clamavit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Qui etiam, velut verus Samaritanus, quoties miserum aliquem vidit, non solum misericordia super eum motus est, sed et facta ipso opem ei tulit. Misericordia movetur super viduam, et filium ei resuscitat; miseretur super turbam et panes ei multiplicat. Idem nobis commendat discipulus ejus dilectus, I. Joan. III. *Filioli mei, non diligamus verbo vel lingua, sed opere et veritate.* Et quid mirum? Sentiant hoc et faciunt bruta animalia. Nam et aves, cum maria transvolant, lassatas e numero suo sublevant, et: *Lento volatu aerem provocantes, leves aurarum flatus excitant* (ait Eusebius Emisenus, homilia de eo: Arundinem quassatam) et cervi maria tranantes sublevant se invicem, ut ibidem refert. Idem passim videre est in aliis bestiis, quomodo una offensa, et opem clamoribus quasi invocante, cæteræ ejusdem speciei concurrant, ut vociferanti opem ferant. Naturam ergo exuisse videntur, qui fratribus in necessitate positus non compatiuntur, et cum possunt non succurrunt. Sane, si nobis arbores folia dumtaxat ostenderent, fructus non darent, nequaquam cum eis contenti essemus. Quare Christus esuriens, cum in ficu quæsisset fructum et folia tantum reperisset, eam maledixit atque arefecit. Pari modo: *Si frater et soror nudi sint,* inquit S. Jacobus, c. II. *et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Scribit sane B. Petrus Damiani, epist. lib. I. ep. X. ad Alexandrum Pp. suo tempore contigisse, ut, dum duo convicanei ad ligna cædenda exirent, trabalis serpens, isque biceps eis obvians, cellum in eos attolleret. Illorum ergo alter securi caput unum serpenti amputavit: verum, elapso e manibus ferro, serpens, caput alterum attollens, virum corripuit, et in specum suam trahere incæpit. Corruptus miser, socii opem

implorat, ut vel securum suam ipsi adjiciat, quæ se defendat. Verum is monstri horrore consternatus, fugam arripuit, et socium trahi passus est. Cujus rei cum pœnitisset, a sacerdotibus ei junctum fuit exilium, in quo etiam in Italiam tempore Damiani venit, ut videtur, ex Africa, quæ semper aliquid novi affert.

II. Appropriavit misero; quod etiam Samaritanus noster Christus fecit, qui cum ægris fere semper versabatur, piscinam probaticam ægris plenam obambulabat, leprosos tangebatur, aliorumque affecta membra tactu sanabat. Sic ergo qui proximum amat, paupertatem, sordes et ulcera morbosque ejus non aversatur, nec avertit vultum, ut faciunt delicati, sed associat se illis, sordes abstergit, ulcera palpat ac fovet, uti fecit S. Ludovicus Franciæ rex, S. Elisabetha, alique, qui hospitalia adierunt, ægris ministrarunt, sordes eorum absterseverunt, ulcera purgarunt, etc. Spirituali dilectione idem faciunt, qui, ut lucentur, aut solentur proximum, ad ejusdem se miserias demittunt, uti fecit eremicola ille, qui cum fratre ad civitatem, ut suos labores venderet, profectus; ubi audiit fratrem a se divisum incidisse in fornicationem, adiit illum dicens: « Revertamur ad cellam nostram. » Respondente altero: Non venio, quia, cum discessisses a me, incurri in tentationem et fornicatus sum; ille volens eum lucrari, cœpit dicere: Quia et mihi contigit, quando separatus sum a te; sed eamus et simul pœnitentiam agamus cum omni labore, et Deus ignoscet nobis peccatoribus. Qui cum venissent ad cellam, retulerunt senibus quod eis contigerat, et dederunt eis mandata, qualiter pœnitentiam agerent. Ille tamen unus non pro se, sed pro illo alio fratre pœnitentiam agebat, tamquam si et ille peccasset. Videns autem Deus laborem et charitatem ejus, intra paucos dies manifestavit uni de senibus, quod pro multa charitate illius fratris qui non peccaverat, indulserat alteri qui fornicatus est, » Ruffin. I. III. n. XII. apud Rosweid. I. V. libello V.

III. De jumento suo descendit, in quod postea miserum imposuit. Ita Samaritanus noster Christus fecit, qui de throno gloriæ suæ ad ægrum genus hominum in terram descendit: ad hæc quacumque tandem vocatus ad ægrorum domus descendit. *Non Jerosolymis desidens,* inquit S. Chrysost. orat. V. adversus Judæos, *vocavit ad se ægros, sed obambulabat civitates ac vicos geminos curans morbos, tum animi tum corporis: attamen poterat eodem loco sedens omnes ad se attrahere: non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, ut obambulemus et quæramus eos qui peccant. Annon vides medicos quoque hoc ipsum fa-*

cere? Non cogunt ægros lecto decumbentes ad ipsorum ædes deferri, sed ipsi accurrunt. Secutus exemplum Christi est Alphonsus rex Aragoniæ, qui, ut alias diximus, videns asinum pauperis, onere depressum ac luto infixum, equo desiliit et una cum paupere asinum extraxit, rex a pectore, rusticus a cauda asinum sublevans. Rursum cum Puteolos obsideret et cadaver viri Genuensis e triremi hostium ejectione littorique appulsum videret, celeriter equo desiliit, iisque qui aderant omnibus desilire jussis, aliis negotium datur ut terram effodiant, aliis ut nudum corpus obvolvant: ipse vero crucem ligneam sua manu fabricatus, humati ipsius capiti affixit, Panormit. lib. I. c. XXV. et XIV. Secutus et S. Godefridus episcopus Ambianensis, qui, cum leprosi ad ejus ædes crepitaculis pulsarent, nihilque inclinaret quod eis daretur, esset præter grandem unum salmonem, quem œconomus ipsi pararat ad cenam: mox ipsi piscem in humeros sustulit, et ad pedes leprosorum detulit, ut in ejus vita Nicolaus monachus Suession. apud Lipel. 8. nov. Viderint hic divites, qui nihil prorsus suæ mensæ, luxui ac splendori volunt detrudere, ut pauperibus quid largiantur. Quales illi Amos VI. *Qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, etc. bibentes vinum in p'xala et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph, quibus minatur transmirationem.* Spirituali dilectione hoc faciunt, qui in gratiam proximi aliquid de rigore etiam et consuetudine vitæ suæ relaxant ac remittunt; uti Sanctus Bernardus, abstinentiæ præcipuus magister, qui, cum aliquando venientibus hospitibus extra ordinem cœnasset, idque discipuli erimini darent: *Non ego, inquit, sed charitas bibit editque,* An. Sylvius, in comment. Panorm. I. III. n. LX. Pari modo si quis peregrinus lassus et famelicus præ pudore in die jejunii cibum sumere nollet, nisi exemplo tuo provocatus, charitas dictaret, ut cum illo ederes; quia charitas major est aliis quibuscumque virtutibus.

IV. Infudit oleum et vinum in sauciati vulnera. Idem Samaritanus noster Christus fecit, dum non solum esurientes cibo pavit, ægros sanavit, ignorantes docuit, uti hic legisperitum istum, sed etiam sanguinem suum in vulnera nostra effudit, eaque persanavit. Hunc ergo in modum proximo impendenda est charitas. Primo, corporaliter, si æger aut miser est, infundendum vinum et oleum, h. e. danda non quæcumque elemosyna, sed qua juvetur et sublevetur proximus, vinum quo reficiatur, oleum quo sanetur. Quid enim prodest dare eis vilissima quæque et vetustate pene corrupta?

Secundo, spiritualiter per correctionem sanandus est: alioquin enim quomodo amatur, si cum sanari possit non sanatur? Verum correctio illa prudens et moderata esse debet: in ingenuis oleum lenitatis, in duris et pervicacibus vinum acrimoniæ: communiter utrumque suaviter commixtum: *Urat, non exurat; corrigat, non perdat correctio,* inquit S. Ambrosius, serm. XVIII. Cæterum primo oleum, deinde adhibendum vinum, ut vult S. Bernardus, ser. XLIV. in Cantica: « Frustrato enim, inquit, suavium oleo monitorum, oportebit sane uti mordacioribus medicamentis, et vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo inreparationibus atque invectionibus agere; et si causa requirit, et duritia tanta est, etiam censuræ ecclesiasticæ baculo percellere contemptorem. » Sic ille. Hinc Lucas, dum præmittit oleum vino, insinuat prius oleum, postea vinum saucio infusum: sic et apostolus, II. Tim. IV. *Insta opportune, importune, argue* (id est, argumentis convince) *obseca, increpa.* En ubique lenitas præponitur austeritati.

V. Alligavit vulnera ejus. Idem fecit Samaritanus noster Christus, qui non solum docuit modos et rationes peccata vitandi et sanandi, sed et pharmaca sacramentorum nobis confecit ac reliquit, quibus velut emplastris vulnera animæ inflata sanaremus. Idem faciet proximo suo corporaliter quidem, qui eum docuerit artem aut industriam aliquam, qua fugere pauperiem et honeste se sustentare queat, uti faciunt ludimagistri et artium quarumcumque magistri, qui pauperes et derelictos pueros colligunt ac docent artes suas. Spiritualiter vero, qui non solum errantem, ut diximus, arguet, sed qui etiam informabit, quomodo peccata fugere et commissa diluere, habitusque vitiosos exuere queat. Notum illud, quod Sanctus Augustinus de quodam refert, qui, cum in puteum incidisset, aliusque superveniens sortem ejus defleret rogans: Quomodo huc miser decidisti? respondit: *Quid rogas aut refert, quomodo incidere? Age potius ut me educa.* Refert Beirl. in apophtheg. Sic prudens medicus non solum indicat causam morbi, sed remedia etiam præscribit, quibus valetudinem recuperemus.

VI. Imposuit illum in jumentum suum, ipse pedes eum comitatus est, non absque suo periculo. Quid si enim latrones et ipsum invasissent, quomodo pedes effugisset? Idem fecit Christus Samaritanus noster, qui infirmos discipulorum ac impolitos mores patienter sustinuit, iis comedentibus jejunavit, iis dormientibus vigilavit; denique, cum pro peccatis nostris satisfacere non possemus, ipse ea in se sus-